

## PASSIO SANCTARUM PERPETUAE ET FELICITATIS

[1] Si vetera fidei exempla, et Dei gratiam testificantia et aedificationem hominis operantia, propterea in litteris sunt digesta, ut lectione eorum quasi repraesentatione rerum et Deus honoretur et homo confortetur, cur non et nova documenta aequae utriusque causae convenientia et digerantur? Vel quia proinde et haec vetera futura quandoque sunt et necessaria posteris, si in praesenti suo tempore minori deputantur auctoritati propter praesumptam venerationem antiquitatis? Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius Sancti pro aetatibus iudicent temporum, cum maiora reputanda sunt novitiora quaeque ut novissimiora secundum exsuperationem gratiae in ultima saeculi spatia decretam: *In novissimis enim diebus, dicit dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii filiaeque eorum; et super servos et ancillas meas de meo Spiritu effundam; et iuvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt.* (Joel 3,1)

Itaque et nos, qui sicut prophetias ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus et honoramus ceterasque virtutes Spiritus Sancti ad instrumentum Ecclesiae deputamus (cui et missus est idem omnia donativa administraturus in omnibus, prout unicuique distribuit dominus) necessario et digerimus <ea> et ad gloriam Dei lectione celebramus, ut ne qua aut inbecillitas aut desperatio fidei apud veteres tantum aestimet gratiam divinitatis conversatam, sive in martyrum sive in revelationum dignatione, cum semper Deus operetur, quae repromisit, non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium.

Et nos itaque, *quod audivimus et contrectavimus, annuntiamus et vobis, fratres et filioli, uti et vos,* qui interfueris, rememoremini gloriae domini et, qui nunc cognoscitis per auditum, *communionem habeatis cum sanctis martyribus et per illos cum domino nostro Iesu Christo,* cui est claritas et honor in saecula saeculorum. Amen. (vgl. 1 Kor. 7,17)

[2] Apprehensi sunt adolescentes catechumeni, Revocatus et Felicitas, conserva eius, Saturninus et Secundulus. Inter hos et Vibia Perpetua, honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, habens patrem et matrem et fratres duos, alterum aequem catechumenum, et filium infantem ad ubera. Erat autem ipsa circiter annorum viginti duo. Haec ordinem totum martyrii sui iam hinc ipsa narravit sicut conscriptum manu sua et suo sensu reliquit.

[3] Cum adhuc, inquit, cum prosecutoribus essemus et me pater verbis evertere cuperet et deicere pro sua affectione perseveraret: „Pater,” inquam, „vides verbi gratia vas hoc iacens, urceolum sive aliud?” - Et dixit: „Video.” - Et ego dixi ei: „Numquid alio nomine vocari potest quam quod est?” - Et ait: „Non.” - „Sic et ego aliud me dicere non possum nisi quod sum: Christiana.” - Tunc pater motus hoc verbo mittit se in me, ut oculos mihi erueret, sed vexavit tantum et

profectus est victus cum argumentis diaboli. Tunc paucis diebus quod caruissem patre, domino gratias egi et refrigeravi absentia illius. In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus, et mihi Spiritus dictavit non aliud petendum ab aqua nisi sufferentiam carnis. Post paucos dies recipimus in carcerem; et expavi, quia numquam experta eram tales tenebras. O diem asperum: aestus validus turbarum beneficio, concussurae militum! Novissime macerabar sollicitudine infantis ibi. Tunc Tertius et Pomponius, benedicti diaconi, qui nobis ministrabant, constituerunt praemio, uti paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremus. Tunc exeuntes de carcere universi sibi vacabant. Ego infantem lactabam iam inedia defectum; sollicita pro eo adloquebar matrem et confortabam fratrem, commendabam filium; tabescebam ideo, quod illos tabescere videram mei beneficio. Tales sollicitudines multis diebus passa sum; et usurpavi, ut mecum infans in carcere maneret; et statim convalui et relevata sum a labore et sollicitudine infantis, et factus est mihi carcer subito praetorium, ut ibi mallem esse quam alicubi.

[4] Tunc dixit mihi frater meus: „Domina soror, iam in magna dignatione es, tanta, ut postules visionem et ostendatur tibi, an passio sit an commeatus.“ - Et ego, quae me sciebam fabulari cum Domino, cuius beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei dicens: „Crastina die tibi renuntiabo.“ - Et postulavi, et ostensum est mihi hoc: Video scalam aereum mirae magnitudinis pertingentem usque ad caelum et angustam, per quam nonnisi singuli ascendere possent, et in lateribus scalae omne genus ferramentorum infixum. Erant ibi gladii, lanceae, hami, machaerae, veruta, ut, si quis neglegenter aut non sursum attendens ascenderet, laniaretur et carnes eius inhaererent ferramentis. Et erat sub ipsa scala draco cubans mirae magnitudinis, qui ascendentibus insidias praestabat et exterrebat, ne ascenderent. Ascendit autem Saturus prior, qui postea se propter nos ultro tradiderat (quia ipse nos aedificaverat), et tunc, cum adducti sumus, praesens non fuerat. Et pervenit in caput scalae et convertit se et dixit mihi: „Perpetua, sustineo te; sed vide, ne te mordeat draco ille!“ - Et dixi ego: „Non me nocebit, in nomine Iesu Christi.“ - Et desub ipsa scala, quasi timens me, lente eiecit caput. Et quasi primum gradum calcarem, calcavi illi caput et ascendi. Et vidi spatium immensem horti et in medio sedentem hominem canum in habitu pastoris, grandem, oves mulgentem; et circumstantes candidati milia multa. Et levavit caput et aspergit me et dixit mihi: „Bene venisti, teknon!“ - Et clamavit me et de caseo, quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam; et ego accepi iunctis manibus et manducavi; et universi circumstantes dixerunt: „Amen.“ - Et ad sonum vocis experrecta sum, commanducans adhuc dulce nescio quid. Et rettuli statim fratri meo; et intelleximus passionem esse futuram, et coepimus nullam iam spem in saeculo habere.

[5] Post paucos dies rumor cucurrit, ut audiremur. Supervenit autem et de civitate pater meus, consumptus taedio, et ascendit ad me, ut me deiceret, dicens: „Miserere, filia, canis meis! Miserere patri, si dignus sum a te pater vocari! Si his te manibus ad hunc florem aetatis provexi,

si te praeposui omnibus fratribus tuis: ne me dederis in dedecus hominum! Aspice fratres tuos, aspice matrem tuam et materteram, aspice filium tuum, qui post te vivere non poterit! Depone animos! Ne universos nos extermines! Nemo enim nostrum libere loquetur, si tu aliquid fueris passa.“ - Haec dicebat quasi pater pro sua pietate, basians mihi manus et se ad pedes meos iactans, et lacrimans me iam non filiam nominabat, sed dominam. Et ego dolebam casum patris mei, quod solus de passione mea gavisurus non esset de toto genere meo. Et confortavi eum dicens: „Hoc fiet in illa catastia, quod Deus voluerit. Scito enim nos non in nostra esse potestate constitutos, sed in Dei!“ - Et recessit a me contristatus.

[6] Alio die cum pranderemus, subito rapti sumus, ut audiremur. Et pervenimus ad forum. Rumor statim per vicinas fori partes cucurrit, et factus est populus immensus. Ascendimus in catastam. Interrogati ceteri confessi sunt. Ventum est et ad me. Et apparuit pater illico cum filio meo et extraxit me de gradu dicens: „Supplica! Miserere infantil!“ - Et Hilarianus procurator, qui tunc loco proconsulis Minuci Timiniani defuncti ius gladii acceperat, „Parce,“ inquit, „canis patris tui, parce infantiae pueri. Fac sacrum pro salute imperatorum!“ - Et ego respondi: „Non facio.“ - Hilarianus: „Christiana es?“ inquit. - Et ego respondi: „Christiana sum.“ - Et cum staret pater ad me deiciendam, iussus est ab Hilariano proici, et virga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei, quasi ego fuisse percussa; sic dolui pro senecta eius misera. Tunc nos universos pronuntiat et damnat ad bestias; et hilares descendimus ad carcerem. Tunc, quia consueverat a me infans mammas accipere et mecum in carcere manere, statim mitto ad patrem Pomponium diaconum, postulans infantem. Sed pater dare noluit. Et quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas desideravit neque mihi fervorem fecerunt, ne sollicitudine infantis et dolore mammarum macerarer.

[7] Post dies paucos, dum universi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox et nominavi Dinocraten. Et obstipui, quod numquam mihi in mentem venisset nisi tunc, et dolui commemorata casus eius. Et cognovi me statim dignam esse et pro eo petere debere. Et coepi de ipso orationem facere multum et ingemescere ad dominum. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc: Video Dinocraten exeuntem de loco tenebroso, ubi et complures erant, aestuantem valde et sitientem, sordido cultu et colore pallido; et vulnus in facie eius, quod, cum moreretur, habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis, annorum septem, qui per infirmitatem facie cancerata male obiit ita, ut mors eius odio fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ergo orationem feceram; et inter me et illum grande erat diastema, ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat deinde in illo loco, ubi Dinocrates erat, piscina plena aqua, altiore marginem habens quam erat statura pueri; et extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quod et piscina illa aquam habebat et tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, et cognovi fratrem meum laborare. Sed fidebam me profuturam labori eius. Et

orabam pro eo omnibus diebus, quo usque transivimus in carcerem castrensem. Munere enim castrensi eramus pugnaturi; natale tunc Getae Caesaris. Et feci pro illo orationem die et nocte gemens et lacrimans, ut mihi donaretur.

[8] Die, quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc: Video locum illum, quem retro videram, et Dinocraten mundo corpore bene vestitum refrigerantem; et, ubi erat vulnus, video cicatricem; et piscinam illam, quam retro videram, summisso margine usque ad umbilicum pueri; et aqua de ea trahebat sine cessatione. Et super marginem fiala aurea plena aqua. Et accessit Dinocrates et de ea bibere coepit; quae fiala non deficiebat. Et satiatus accessit de aqua ludere more infantium gaudens. Et experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de poena.

[9] Deinde post dies paucos Pudens, miles optio, praepositus carceris, nos magnificare coepit intellegens magnam virtutem esse in nobis; qui multos ad nos admittebat, ut et nos et illi invicem refrigeraremus. Ut autem proximavit dies muneris, intrat ad me pater meus consumptus taedio, et coepit barbam suam evellere et in terram mittere et prosternere se in faciem et improperare annis suis et dicere tanta verba, quae moverent universam creaturam. Ego dolebam pro infelici senecta eius.

[10] Pridie quam pugnaremus, video in horomate hoc: venisse Pomponium diaconum ad ostium carceris et pulsare vehementer. Et exivi ad eum et aperui ei; qui erat vestitus discincta candida, habens multiplices galliculas. Et dixit mihi: „Perpetua, te expectamus. Veni!“ - Et tenuit mihi manum et coepimus ire per aspera loca et flexuosa. Vix tandem pervenimus anhelantes ad amphitheatrum, et induxit me in media arena et dixit mihi: „Noli pavere! Hic sum tecum et collaboro tecum.“ - Et abiit. Et aspicio populum ingentem attonitum; et quia sciebam me ad bestias damnatam esse, mirabar, quod non mitterentur mihi bestiae.

Et exivit quidam contra me Aegyptius foedus specie cum adiutoribus suis, pugnaturus mecum. Veniunt et ad me adolescentes decori, adiutores et fautores mei. Et expoliata sum et facta sum masculus; et cooperunt me favisores mei oleo defricare, quomodo solent in agone. Et illum contra Aegyptium video in afa volitantem. Et exivit vir quidam mirae magnitudinis, ut etiam excederet fastigium amphitheatri, discinctatus, purpuram inter duos clavos per medium pectus habens, et galliculas multiformes ex auro et argento factas, et ferens virgam quasi lanista, et ramum viridem, in quo erant mala aurea. Et petiit silentium et dixit: „Hic Aegyptius, si hanc vicerit, occidet illam gladio; haec, si hunc vicerit, accipiet ramum istum.“ - Et recessit.

Et accessimus ad invicem et coepimus mittere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere volebat; ego autem illi calcibus faciem caedebam. Et sublata sum in aere et coepi eum sic caedere quasi terram non calcans. At ubi vidi moram fieri, iunxi manus, ut digitos in digitos mitterem, et

apprehendi illi caput; et cecidit in faciem, et calcavi illi caput. Et coepit populus clamare et favisores mei psallere. Et accessi ad lanistam et accepi ramum. Et osculatus est me et dixit mihi: „Filia, pax tecum!“ - Et coepi ire cum gloria ad portam Sanavivariam. Et experrecta sum. Et intellexi me non ad bestias, sed contra diabolum esse pugnaturam; sed sciebam mihi esse victoriam.

Hoc usque in pridie muneris egi; ipsius autem muneris actum, si quis voluerit, scribat.

**[11]** Sed et Saturus benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit: „Passi,” inquit, „eramus, et exivimus de carne, et coepimus ferri a quattuor angelis in orientem, quorum manus nos non tangebant. Ibamus autem non supini sursum versi, sed quasi mollem clivum ascendentes. Et liberato primo mundo vidimus lucem immensam, et dixi Perpetuae (erat enim haec in latere meo): „Hoc est, quod nobis Dominus promittebat: percepimus promissionem.“ - Et dum gestamur ab ipsis quattuor angelis, factum est nobis spatium grande, quod tale fuit quasi viridiarium, arbores habens rosae et omne genus flores. Altitudo arborum erat in modum cypressi, quarum folia cadebant sine cessatione. Ibi autem in viridiario alii quattuor angeli fuerunt clariores ceteris: qui, ubi viderunt nos, honorem nobis dederunt et dixerunt ceteris angelis: „Ecce sunt, ecce sunt!“, cum admiratione. Et expavescentes quattuor illi angeli, qui gestabant nos, deposuerunt nos. Et pedibus nostris transivimus stadium via lata. Ibi invenimus Iocundum et Saturninum et Artaxium, qui eadem persecutione vivi arserunt, et Quintum, qui et ipse martyr in carcere exierat. Et quaerebamus de illis, ubi essent ceteri. Angeli dixerunt nobis: „Venite prius, introite, et salutate Dominum!“

**[12]** Et venimus prope locum, cuius loci parietes tales erant quasi de luce aedificati; et ante ostium loci illius angeli quattuor stabant, qui introeuntes vestierunt stolas candidas. Et introivimus, et audivimus vocem unitam dicentem „Agios Agios Agios“, sine cessatione. Et vidimus in eodem loco sedentem quasi hominem canum, niveos habentem capillos et vultu iuvenili, cuius pedes non vidimus. Et in dextera et in sinistra seniores quattuor, et post illos ceteri seniores complures stabant. Et introeuntes cum admiratione stetimus ante thronum, et quattuor angeli sublevaverunt nos et osculati sumus illum, et de manu sua traiecit nobis in faciem. Et ceteri seniores dixerunt nobis: „Stemus!“ - Et stetimus et pacem fecimus. Et dixerunt nobis seniores: „Ite et ludite!“ - Et dixi Perpetuae: „Habes, quod vis.“ - Et dixit mihi: „Deo gratias, ut quomodo in carne hilaris fui, hilior sim et hic modo.“

**[13]** Et exivimus et vidimus ante fores Optatum episcopum ad dexteram et Aspantium presbyterum doctorem ad sinistram separatos et tristes. Et miserunt se ad pedes nobis et dixerunt: „Componite inter nos, quia existis, et sic nos reliquistis!“ - Et diximus illis: „Non tu es

papa noster et tu presbyter, ut vos ad pedes nobis mittatis?“ - Et moti sumus et complexi illos sumus. Et coepit Perpetua Graece cum illis loqui, et segregavimus eos in viridiarium sub arbore rosae. Et dum loquimur cum eis, dixerunt illis angeli: „Sinite illos refrigerent! Et si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis invicem!“ - Et conturbaverunt eos. Et dixerunt Optato: „Corrige plebem tuam, quia sic ad te conveniunt quasi de circo redeuntes et de factionibus certantes!“ - Et sic nobis visum est, quasi vellent claudere portas. Et coepimus illic multos fratres cognoscere, sed et martyras. Universi odore inenarrabili alebamur, qui nos satiabat. Tunc gaudens experrectus sum.

**[14]** Hae visiones insigniores ipsorum martyrum beatissimorum Saturi et Perpetuae, quas ipsi conscripserunt. Secundulum vero Deus maturiore exitu de saeculo adhuc in carcere evocavit non sine gratia, ut bestias lucraretur. Gladium tamen, etsi non anima, certe caro eius agnovit.

**[15]** Circa Felicitatem vero - et illi gratia domini eiusmodi contigit: Cum octo iam mensium ventrem haberet (nam praegnans fuerat apprehensa), instante spectaculi die in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur (quia non licet praegnantes poenae repraesentari) et ne inter alios postea sceleratos sanctum et innocentem sanguinem funderet. Sed et commartyres graviter contristabantur, ne tam bonam sociam quasi comitem solam in via eiusdem spei relinquerent. Coniuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores invaserunt. Et cum pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doloreret, ait illi quidam ex ministris cataractariorum: „Quae sic modo doles, quid facies obiecta bestiis, quas contempsisti, cum sacrificare noluisti?“ - Et illa respondit: „Modo ego patior, quod patior; illic autem aliis erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum.“ - Ita enixa est puellam, quam sibi quaedam soror in filiam educavit.

**[16]** Quoniam ergo permisit et permittendo voluit Spiritus Sanctus ordinem ipsius muneris conscribi, etsi indigni ad supplementum tantae gloriae describendae, tamen quasi mandatum sanctissimae Perpetuae, immo fideicommissum eius exsequimur, unum adientes documentum de ipsius constantia et animi sublimitate. Cum tribunus castigatus eos castigaret, quia ex admonitionibus hominum vanissimorum verebatur, ne subtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis, in faciem ei Perpetua respondit: „Quid utique non permittis nobis refrigerare, noxiis nobilissimis, Caesaris scilicet, et natali eiusdem pugnaturis? Aut non tua gloria est, si pinguiores illo producamur?“ - Horruit et erubuit tribunus; et ita iussit illos humanius haberi, ut fratribus eius et ceteris facultas fieret introeundi et refrigerandi cum eis, iam et ipso optione carceris credente.

**[17]** Pridie quoque, cum illam cenam ultimam, quam liberam vocant - quantum in ipsis erat: non

cenam liberam, sed agapem - , cenarent, eadem constantia ad populum verba iactabant, comminantes iudicium Dei, contestantes passionis suae felicitatem, irridentes concurrentium curiositatem, dicente Saturo: „Crastinus satis vobis non est? Quid libenter videtis, quod odistis? Hodie amici, cras inimici. Notate tamen vobis facies nostras diligenter, ut recognoscatis nos in die illo!“ - Ita omnes inde adtoniti discedebant, ex quibus multi crediderunt.

**[18]** Illuxit dies victoriae illorum, et processerunt de carcere in amphitheatrum quasi in caelum hilares, vultu decori, si forte gaudio paventes, non timore. Sequebatur Perpetua lucido vultu et placido incessu ut matrona Christi, ut Dei delicata, vigore oculorum deiciens omnium conspectum. Item Felicitas, salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, a sanguine ad sanguinem, ab obstetricie ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. Et cum ducti essent in portam et cogerentur habitum induere, viri quidem sacerdotum Saturni, feminae vero sacratarum Cereri, generosa illa in finem usque constantia repugnavit. Dicebat enim: „Ideo ad hoc sponte pervenimus, ne libertas nostra obduceretur; ideo animam nostram addiximus, ne tale aliquid facheremus; hoc vobiscum pacti sumus.“ - Agnovit iniustitia iustitiam, concessit tribunus: quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, caput iam Aegyptii calcans. Revocatus et Saturninus et Saturus populo spectanti comminabantur. Dehinc, ut sub conspectu Hilariani pervenerunt, gestu et nutu cooperunt Hilariano dicere: „Tu nos,” inquiunt, „te autem Deus.“ - Ad hoc populus exasperatus flagellis eos vexari per ordinem venatorum postulavit; et utique gratulati sunt, quod aliquid et de dominicis passionibus essent consecuti.

**[19]** Sed qui dixerat: „Petite, et accipietis!“ (Joh. 16,24) potentibus dederat eum exitum, quem quis desideraverat. Nam si quando inter se de martyrii sui voto sermocinabantur, Saturninus quidem omnibus bestiis velle se obici profitebatur, ut scilicet gloriostorem gestaret coronam. Itaque in commissione spectaculi ipse et Revocatus leopardum experti etiam super pulpitum ab urso vexati sunt. Saturus autem nihil magis quam ursum abominabatur; sed uno morsu leopardi confici se iam praesumebat. Itaque, cum apro subministraretur, venator potius, qui illum apro subligaverat, subfossus ab eadem bestia post dies muneric obiit; Saturus solummodo tractus est. Et cum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit. Itaque secundo Saturus illaesus revocatur.

**[20]** Puellis autem ferocissimam vaccam ideoque praeter consuetudinem comparatam diabolus praeparavit, sexui earum etiam de bestia aemulatus; itaque dispoliatae et reticulis indutae producebantur. Horruit populus alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recentem stillantibus mammis; ita revocatae et discinctis indutae. Prior Perpetua iactata est et concidit in lumbos. Et ubi sedit, tunicam a latere discissam ad velamentum femoris reduxit, pudoris potius memor quam doloris. Dehinc acu requisita et dispersos capillos infibulavit; non enim decebat

martyram sparsis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur. Ita surrexit et, elisam Felicitatem cum vidisset, accessit et manum ei tradidit et suscitavit illam; et ambae pariter steterunt. Et populi duritia devicta, revocatae sunt in portam Sanavivariam. Illic Perpetua a quodam tunc catechumeno Rustico nomine, qui ei adhaerebat, suscepta et quasi a somno exergita (adeo in spiritu et in extasi fuerat) circumspicere coepit et stupentibus omnibus ait: „Quando, inquit, producimur ad vaccam illam nescioquam?“ - Et cum audisset, quod iam evenerat, non prius creditit nisi quasdam notas vexationis in corpore et habitu suo recognovisset. Exinde accersitum fratrem suum et illum catechumenum adlocuta est dicens: „In fide state et invicem omnes diligite, et passionibus nostris ne scandalizemini!“

[21] Item Saturus in alia porta Pudentem militem exhortabatur dicens: „Ad summam,” inquit, „certe, sicut praesumpsi et praedixi, nullam usque adhuc bestiam sensi. Et nunc de toto corde credas: ecce prodeo illo, et ab uno morsu leopardi consummorum.“ - Et statim in fine spectaculi leopardo obiectus de uno morsu tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit: „Salvum lotum! Salvum lotum!“ - Plane utique salvus erat, qui hoc modo laverat. Tunc Pudenti militi „Vale,” inquit, „et memento fidei et mei; et haec te non conturbent, sed confirment!“ - Simulque ansulam de digito eius petiit, et vulneri suo mersam reddidit ei hereditatem, pignus relinquens illi et memoriam sanguinis. Exinde iam exanimis prosternitur cum ceteris ad iugulationem solito loco. Et cum populus illos in medio postularet, ut gladio penetranti in eorum corpore oculos suos comites homicidii adiungerent, ulti surrexerunt et se, quo volebat populus, transtulerunt, ante iam osculati invicem, ut martyrium per sollemnia pacis consummarent. Ceteri quidem immobiles et cum silentio ferrum receperunt: multo magis Saturus, qui et prior ascenderat, prior reddidit spiritum; nam et Perpetuam sustinebat. Perpetua autem, ut aliquid doloris gustaret, inter ossa compuncta exululavit, et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in iugulum suum transtulit. Fortasse tanta femina aliter non potuisset occidi, quae ab immundo spiritu timebatur, nisi ipsa voluisse.

O fortissimi ac beatissimi martyres! O vere vocati et electi in gloriam domini nostri Iesu Christi! Quam qui magnificat et honorificat et adorat, utique et haec non minora veteribus exempla in aedificationem Ecclesiae legere debet, ut novae quoque virtutes unum et eundem semper Spiritum Sanctum usque adhuc operari testificantur, et omnipotentem Deum Patrem et Filium eius Iesum Christum dominum nostrum, cui est claritas et immensa potestas in saecula saeculorum. Amen.

Text nach *The Acts of the Christian Martyrs*, ed. H. Musurillo, Oxford 1972, p.106-130.

*Kursive Texte sind biblische Zitate.*

Text, Orthographie und Zeichensetzung bearbeitet von J. Dittmer.